

lestis doctrinae summa nulli methodo Ecclesiam suam adstrinxit, sed in quem ordinem credenda, ex S. literis collecta, dirigere, in quam scientiae vel disciplinae formam, ut memoriae & iudicio discipulorum consuleret, conjungere vellet, Ecclesiae arbitrio reliquit; dummodo illa *τάξι καὶ εὐχνοσύνῃ*, ad aedificationem potius, quam destructionem facientem, II. Cor. X. 8. observaret. Nec in ipsa voluntatis suae revelatione unum modum, ordinemque divina sapientia tenuit, dum alia historico, alia dogmatico, alia parænetico schemati circumdedit, ut tamen sub universis istis eadem mysteriorum divinatorum institutio latitaret. Quis vero dubitet, vetustissimos mortalium, quid de DEO, rebusque divinis credendum esset, quid faciendum homini, ut DEO suo placeret, nec ad iram eundem proritaret, in compendio quodam, certis capitibus comprehenso, ne vaga de iis narratio memoriam confunderet, aut res semel audita in facilem iterum oblivionem diffunderet, excerptum ex eo, quod pro tempore revelatum fuerat, verbo proposuisse? Non credo ex Judæis primum R. Mosen Maimonidem fuisse, qui divina praecepta in *יסורי התורה*, certa legis fundamenta digessit, quod libro *ראש אמנה*, Caput fidei dicto, de eo pronunciat R. Isaacus Abravenel, quem postea imitatus R. Chasdaï *אורי ארזי לumen Domini*, R. Joseph Albo, *עקרי*, radices fidei exaravit, eidem instituto inservientes: si quidem quod vult Abarbenel, (c) intentio ejus fuit, dirigere homines, qui non sunt solide fundati in scientia legis, nec didicerunt, aut operam dederunt, quantum illis necesse erat. Ut adeo, quia illi non possunt assequi aut comprehendere omnia fidei dogmata

---

(c) De C. F. c. XXXIII. p. 109. ex ed. Gvil. Vorstii.